Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent. ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. & Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia Lipsiensi, Commentarius In Librum ...

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

Visual Library

BENEVOLO LECTORI
veram RESURGENTIS pacem
optat
Christophorus Sam. Martini,
SS. Theol. Doct. Liebenwerdens. Pastor & Dicecef. Superintendens.

UTut in historia Herculis Israëlitici, qvo *Josuam* jure meritoqve suo indigitamus, interpretanda, non pauci summi Nominis *Viri* olim atq; olim desudaverint, operæ precium tamen esse existimamus, ut qvæ *Johannes Mulmannus* ad eundem commentatus est, cum erudito orbe, aliorum precibus non vice simplici ad hoc permoti, in præsens communicemus. Ipsæ enim, qvæ publici nunc juris fiunt, paginæ in Scriniis suis Maximè Rev. Dn. *M. Kühnius*, Antistes Dresdensium diu meritissimus sanctè hactenus custodivit, custoditasqve posteris ita tradidisset, nisi plurimorum, qvi literis benè cupiunt, Ivasu atqve consilio, easdem Domino *Joh. Christophoro Zimmermanno*, Bibliopolæ Dresdensi haud incelebri & in promovendis bonis literis perqvam occupato, tandem exhibuisset, qvi & typis istas sine morâ excudi curasset, nisi lacunæ hinc atqve inde obviæ temporis qvod-

Landesbibliothek Oldenburg

dam ſpatium ſibimet reqviſiviſſent. Has itaqve ad nutum Ampliſſimi Domini *Kühnii*, cum adversâ valetudine multum conflictantis, omnium optime per me ſuppleri poſſe exiſtimabat; virium mearum probe conſcius, laborem primum ſubterfugi, cui tamen humeros demum vel eum in finem ſubjiciendos mihi eſſe putavi, qvod in Eccleſiæ atqve reipublicæ literariæ incrementum nihil non unicuiqve tentandum ſit. De ipſo *Mulmanno*, Ejusdemqve, qvæ per vitam ſuſtinuit, fatis, ſi pro eo, ac par eſſet, verba facere jam vellem, tempus me deſtitueret, meſſis tamen hujus ampliſſimæ ut ſpicilegium tantum qvoddam, idqve lineolis breviſſimis, hoc in loco ſuſcipiam, inſtituti, qvod jam urgeo, ratio à me reqvirere videtur. Incidunt vitæ *Mulmanni noſtri* (*Mülmanno* enim, qvi relictis Lutheranorum caſtris ad Jeſuitas abiit, & A. æt. 51. d. 10. Febr. 1651. obiit, non laudes ſed dicam alii ſcribant) auſpicia, in annum ſeculi decimi qvinti ſeptuageſimum atqve tertium, ejusdemqve Menſis Junii diem vigeſimum octavum, qvæ ut per *Hieronymum Mulmannum* Eccleſiaſten Pegavienſem atqve *Magdalenam*, Johannis *Groſſenii* Senatoris itidem Pegavienſis filiam, Eidem obtigerunt, ita in natali ſuo loco ad annum usqve decimum qvintum ætatis ſuæ commoratus eſt, ex qvo *Portenſe Lycéum* tam diu freqventare neceſſum habuit, donec rude donatus, altiora Muſarum limina ſalutare, *Lipſiamqve*, tot elegantium ingeniorum Matrem, petere juſſus fuerat. Relato ibidem anno ſupra nonageſimum qvarto in faſtos Academicos Ejusdem nomine

mine Baccalaurei atqve Magisterii, qvos vocant, gradus, rite & cum summâ laude obtinuit, qvos ut per politioris literaturæ culturam mirificè exornabat, ita sermonibus ad populum habendis ingenii sui vires maximè exercens, ad Diaconi partes suscipiendas *Numburgum* anno dicti seculi supra nonagesimum nono evocatus est, ubi & tam diu animas ipsi concreditas sedulo circumspecteqve pavit, donec anno seculi proximè elapsi qvarto, in *Laucha* Urbe Pastoratus munia Eidem imponerentur. Cùm verò nondum per annum integrum ibidem hæsisset, alma studiorum mater *Lipsia* filium à se tantisper dimissum, denuo sibimet vendicans, Sacrorum, qvæ in D. Nicolai æde perficiuntur, Archi-Diaconum *Mulmannum nostrum* constituit. Impetrata dehinc summos in Theologia honores petendi Licentia, Saxonum Electoris potentissimi *Christiani II.* favorem adeo sibi conciliavit, ut non tantùm Theologiæ provincia, qvam morte præventus *Zacharias Schilterus* paulo ante deposuerat, exornaretur, sed & Alumnorum Electoralium Ephoria Eidem insuper concrederetur. His honorum titulis auctus, per varia in publicum emissa scripta nomen ab interitu vindicare conatus est *Mulmannus*, ex qvibus, ut multa alia taceam, *Disputationes Anti-Jesuiticas* de Verbo DEi scripto Mulhusiano Apostatæ oppositas; *De veritate & integritate Cœnæ Dominicæ; De Cœna Domini*, qvæ causam Ægidii Hunnii contra Piscatorem perorat; *Disputationes duas de universalitate meriti Christi* Calvinianis atqve Pontificiis

oppo-

oppositas; *Theorema de æterna Christi Deitate*, Arianorum strophas confutans; Ejusdem *Responsum ad Speculum pœnitentiæ Calvinisticum*; *Scriptum, qvo Lutheri famam tuetur*; *Nucleum Oeconomiæ Christianæ*; *Librum vitæ*; *Exercitium crucis*; *Flagellum melancholicum* &, præter *homilias atqve Conciones innumeras*, *Epulum cœleste* potissimum in præsens commemoramus. In medio ætatis rerumqve suarum cursu cùm hôc modo esset constitutus, mortis nuncium accipiebat, cui & anno superioris seculi decimo tertio, summa inter Auditorum suorum suspiria, demum succubuit. Hæc atqve similia qvemadmodum *Programma* in funere illius publicè propositum, pluribus inculcat, ita temperare mihi non possum, qvin verba seqventia ex eodem depromta, cum *Mulmanni* imaginem ad vivum sistere videantur, meis hisce interspergam:

> Licuit, (habet illud) in sacris audire orationem ejus gravem, atqve ingenti spiritu erectam, dignam Davidico genio interpretem mysteriorum. Suspeximus flumen in verbis, pondus in sententiis; qvæ ferirent, imò implerent & sauciarent mentes vulgi simul & eruditorum, ut suspiriosis votis ad eas inardescerent. Vidimus, ceu generosi leonis musculos, nervos, sangvinem, & jubas pro concione sævos Ecclesiæ lupos prosternentis atqve exungulantis. Et qvis non celebrat *meditationes* illas *contra Melancholicam spiritualem* directas? Qvis artificium in eo non laudat, dejectos animò & tristitia occupatos erigendi? Cum hoc fervore conjunxit vitæ sanctimoniam, qvâ ea, qvæ in domo Dei struxit, solidiùs firmavit.

Sed utè diverticulo in viam meumqve institutum redeam, *Commentatio* certê *in Josuam* ab Eodem confecta, famam

tanti

tanti Viri non parum auget atqve amplificat, cùm præter eruditionis tàm sacræ qvàm profanæ præclara specimina, methodum prorsus singularem insuper nobis insinuet. Summa enim capitis uniuscujusqve proposita, divisionem illius *Autor* instituit, cui ut partium, qvas divisio sistit, explicationem subjungit, ita in Locos tandem Ecclesiasticos pariter atqve Politicos, textu præeunte, felicissimè inqvirit. Defectus hinc atqve inde obvios, qvos describentium incuria exemplaribus (præter illud enim qvod celebris *Celeberrimi Kühnii* Bibliotheca nobis suppeditavit, nullum hactenus conferre mihi licuit,) invexisse videtur, cùm eo, qvo fieri potuit, studio atqve diligentiâ supplere annisus sim, *Lectorem Christianum* atqve *Candidum* etiam atqve etiam rogatum cupio, ut si qva in parte aberraverim, mentemqve *B. Autoris* satis dignè semper asseqvutus non fuerim, illud benevolentiâ suâ obtegat atqve compenset, gratosqve, qvibus in *Mulmanni* manes feror, amoris ignicu-los aura qvadam inclementiori non sufflaminet, sed svaviori benignioriqve eosdem potius alat atqve sustentet. Si enim præsentes, qvas publicamus, paginæ sitim *Lectoris* exactè non relevant, alii sane fontes non desunt, ex qvibus pro lubitu plus aqvæqvilibet haurire poterit. Ut enim de *Augustino*, *Beda*, cui qvæstiones in Josuam debemus; *Theodoreto*, *Bonfrerio*, *Gadolo*, (qvi in omnes Bibliorum libros commentaria scripsit;) *Buntingo*, *Brentio*, *Calovio*, *Osiandro*, *Calvino*, *Bormanno*, atq; *Crommio* (cujus theses Theologicæ Lovaniæ lucem aspexerunt) *Chytræo*, *Drusio*, *Hannekenio*, *Helingo*, qvem Periocha sua commendat; *Isidoro*

His-

Hispalensi, *Lavatero*, qvi præter *Originem* atq; *Wolphium* homiliis eundem illustravit; *Montano*, *Malvenda*, *Magaliano*, *Nezenio*, *Paulutio*, *Piscatore*, *Strigelio*, atq; *Tostato*, nihil dicam, in theatrum alii qvam plurimi cum elogiis debitis possent produci, qvi Ducis hujus Israelitarum post Mosen clarissimi acta calamis suis amplificarunt, nisi occupationes sacræ, qvibus hoc potissimum temporem ultum distineor, chartæq; hujus angustia, aliud svaderent, filumq; abrumpendum esse mihi injungerent. *Errata* siqvæ irrepserunt, si non ipsa MSCti tot abbreviaturis, qvæ sensum subinde dubium reddunt, referti conditio, *Corrector* minimũ excusabit, cum mihi à prelo, sub qvo opusculum hoc desudat, longius distandi, idem denuo perlustrandi, integrum non sit. Qvod restat, DEUM precor immortalem, ut in *Mulmannum* tanqvam in speculum verbi divini Doctores atq; precones mentis oculorumq; aciem ita semper intendant, ut muneris divinitus ipsis concessi benè memores, salutarem doctrinam non tantùm ore sed & scriptis nullo non tempore imperterriti defendant. Tu verò, LECTOR BENIVOLE, siqvid boni ex his super Josuam stricturis ad TE redundat, & in posterum redundabit, id omne Divino NUMINI acceptum refer, venerandos verò *Mulmanni* cineres una cum mea tenuitate ut amore favoreq; Tuo constanter proseqvi non nolis, summopere à TE oro atq; contendo. Benè vale. Scrib. Libenvverdæ pridie Festi Paschatos A. O. R.

M DCCI.

Προλε-

Προλεγόμενα.

On tàm moris, quam facilioris cognitionis gratiâ præmitto historiæ Josuanæ explicationi προλεγομένων loco. I. Brevem ejus libri commendationem, petitam à causis cardinalibus, *efficiente*, *materiâ*, *formâ* & *fine*. Nam *tunc scire nos arbitremur, cum causas cognoverimus*, ut cum philosopho loquar. II. Quæ vitam & personam Josuæ spectant, subjiciam.

Ut igitur ab *efficiente*, quam in scholis *secundariam* appellamus, exordiar, videtur nonnullis haud constare certò, quisnam suâ manu hanc historiam conscripserit. Accepit quidem liber iste nomen sive titulum â Josua, sed nihil firmi exinde concludi videtur. Dicit enim Athanasius in S. Scripturæ synopsi: *Τά δὲ ἐντεῦθεν βιβλία μέχρι τοῦ Εσδρα, ὰ πάντα ἐκείνων εἰσὶ συγγραφαὶ, ὧν καὶ τὰς ἐπιγραφὰς φέρουσι, καὶ περὶ ὧν διαλαμβάνουσι. λόγῳ δὲ φέρεται παρὰ τῶν κατὰ τοὺς ἑκάστους καιροὺς προφητῶν συγγεγράφθαι αὐτά. Qui de hinc libri ad Esdram usque sequuntur, non omnino eorum sunt scripta, quorum inscriptiones præ se ferunt & de qui-*

bus